



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Otho Conf. 23. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

152 · VITÆ SANCTORVM. 23. Mart.

panniculis, licet è principe familiâ esset, involvit.  
Quæ virtus ita cœli Reginam cepit, ut vultu blan-  
diffimo CATHARINAM intueri sit visa, at torvis  
oculis socrum, quod vestium luxum hæc amaret.  
Interim centonibus CATHARINÆ Deus purpuræ  
splendorem non semel addidit. Romæ cum age-  
ret, pudicitia custodem B. Sebastianum sibi legit,  
opemque sepiùs ejus præsentem sensit. Gravius  
nihil aggressa est vel facere ipsa vel alteri suadere,  
quam VIRGINEM Angeli verbis salutasset. Casti-  
gavit tamen MATER MAGNA clientem suam, cum  
præter Brigitæ matris & virorum Religiosorum  
voluntatem, patriam cogitaret. Visa est enim sibi  
CATHARINA inter mundi laborantis incendia  
frustra opem à VIRGINE rogare, nî Majorum vo-  
luntati pareret, & patriam cœlo posthaberet.  
Mortua est pridie VIRGINIS ANNVTIATÆ, cum  
plures annos quotidie aniinum confessione expi-  
set. Funus Ericus Rex suis humeris extulit. Cr-  
ulum stellam legauit, quam funus comitaretur. Mir-  
aris nobiles funeris curatores? Nobiliores anima ha-  
buit, Angelos. Ex Surio.

Vitam tuam quotidiana discussione examina; at-  
tende diligenter, quantum proficias, vel quantum  
deficias: qualis sis in moribus, & qualis in affecti-  
bus: quam similis sis Deo, vel quam dissimilis,  
quam propè vel quam longè, non locorum interval-  
lis, sed morum affectibus. S. Bern. l. Med. c. 5.

S. O T H O C O N F. 23. Martij.

**R**omæ natus OTHO Palladi primam æratem  
devovit. A Pallade deinde ad Martem trans-  
iit, utroque propitio. Nam & literis excultus, &  
armis præstans Lothario Imp. cum hic Innocen-  
tio

tio III. Pont. contra Pseudopontificem auxilium ferret, ita volente, veteri Majorum gloriæ Equitis etiam titulos adjecit. Nimirum nulla adæquè calcaria virtutem extimulant, uti aurea. Quod tamen Dævs sub suis signis militare vellet OTHONEM, ostendit quæ mundus suis stipendia numeraret. Proin dum pro Alexandro III. Pont. contra Frid. Imp. arma gerit, speratque palmas & triumphos, captivus carcerem ab hoc aufert & vincula. Adebat tamen D. Bernardus precibus vocatus, & dormientem ex hostium manibus non vano somnio educit. Squalor carceris & fames longa alium vultum OTHONI induerant, ut facile omnes falleret. Liber ergo arma in se vertit, sibi bellū indixit. Locus castris metandis placuit Beneventum inter & Asculum. Sed & propugnaculum ingens extruxit cellam humilem: tela preces erant: vulnera ab hostili manu nulla, honestissima à suâ manu tulit. Ita sese subjugato, Arianensium quoque superstitionem aggressus expugnare, effecit, ut qui ad id tempus Iani bifrontis imaginem, quâ publicis, quâ privatis ædificijs præfigebant, Christiani Christum potius præ se ferrent, quam Deos ridiculos. Isdem imminentem ob scelera non modò ab Agarenis, sed Christianis etiam vastitatem, & ruinam prædictit; cui tamen ipse morte subduxit sese. Ex Ferrar.

*Quæ nos agit vesania vitiorum? sitire absinthium, hujus mundi sequi naufragium, vite labentis pati infortunium, impie Tyrannidis serre dominium, & non magis convolare ad Sanctorum felicitatem & ad Angelorum societatem? S. Bern. in Medit.*